Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Circvlvs Westphalicvs Sive Germaniæ Inferioris

Blaeu, Joan

Amstelædami, [zwischen 1640 und 1659]

urn:nbn:de:gbv:45:1-289563

Visual Library



Farbkarte #13
B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue
Centimetres
Inches
Landesbibliothek Oldenburg

D2 211
X
L142,3

feris sylvis, iisque non incultis abundat. Versus Rhenum & montes Hassiæ, etiam ferri, cupri, plumbi & aliorum metallorum, ad Corbachium etiam auri venas non incelebres habuit. Et terræ bonitatem omniumque rerum ad victum pertinentium copiam, frequentia hominum eam incolentium, & oppida plurima, ac urbes amplæ & populosæ, Monasterium, Osnabruga, Susatum, Minda, Tremonia, Hervordia, Paderborna, Lippia, Lemgovia, Wesalia, & cætera, recta descriptione & splendore ædificiorum, & civium multitudine ac humanitate, paucis in Germania cedentes, ostendunt. Ne Palæstina quidem, quam Deus terram melle & lacte fluentem nominat, omnibus in locis pari fertilitate fuit. Multò feracior vini, olei, balsami, frugum, & aliorum terra nascentium fuit Galilæa & Peroa, quam Judæa: præsertim ea parte, qua montes Arabicos spectat, in qua panibus hordeaceis vesci vulgus & aquam bibere solebat. Quare nec Westphaliæ vitio verti potest, quod, cum regio amplissima sit, & latissime pateat, alicubi amœnior ac fœcundior, alicubi incultior & horridior sit.

Gentis elogium, undelect.

Gens Westphalica, constantiæ & gravitatis amans, ut difficulter initio ab avita religione abduci, & ad Christi agnitionem converti potuit; ita deinceps semel datam Christo fidem, non solum constantissime servavit, verum etiam late in reliquam Saxoniam, Daniam, Sueciam, Vandaliam & alias regiones propagavit. Præcipuam militia, qua Joannes Megapolitanus, ob pietatem & sacrarum literarum scientiam Theologus dictus, amplissimam gentem Livonicam Christo adjunxit, inde perspicuum est, quod ante annos paucos adhuc, amplissima Livoniæ pars, Westphalorum nobilium imperio parebat.

Ingenia Westphalorum ad litteras, disciplinam, virtutem, doctrinas & alias honestas artes idonea esse, demonstrant tot tantique viri virtute & doctrina excellentes, ecclesiæ & rerum publicarum gubernatores, quos innumerabiles natio Westphalica orbi dedit.

Judicia & leges.

Carolus Magnus, cum Westphalos videret libertatis amantes, jugum Imperii ægre ferentes, & nihil non molientes, ut, excussa Episcoporum & Regum Romanorum dominatione, pristinum libertatis decus reciperent, viros aliquot honestos, sapientes, & industrios secreto delegit, eosque hac potentia armavit, ut quoscunque certo cognoscerent seditionis cupidos & authores esse, sine longiore disputatione statim multarent. Quæ judicia, etsi, ad reprimendos turbulentorum hominum seditiosos conatus, sapienti deliberatione instituta fuerant, cum multa tamen injusta per eadem fierent, per totam Westphaliam jampridem obsoleverunt; & quamvis Scabini illi etiamnum in nonnullis perpaucis tamen oppidis supersint, judicia tamen nulla clam, sed omnia palam citatis & auditis denunciatis, peragi solent. Et Magistratus oppidorum ubique judicia tam civilia quam criminalia exercet, nec Scabinis de cujusquam sanguine, nisi ordine judiciali, cognoscere licet. Ita ut forma gubernationis politicæ honesta, & in civitatibus, judicia, legibus & jure, non minus quam in reliqua Germania, æquissima constituta sint.

WEST-

CIRCVLVS WESTPHALIÆ.

Unde dictæ.

Vnde nomen Westphalia acceperit, non una est omnium sententia. Sunt qui à Vesta dea *Vestaliam* dictam arbitrantur, quod ea hic olim culta fuerit; unde & Westphalos quasi Vestalios dictos esse volunt. Aliis tamen placet ab Occidentali plaga sic dictos. Qui enim, inquiunt, ultra Visurgim fluvium Orientalem plagam occupant, *Ostvali* Saxones nominantur ab *Ost*, Oriente, & *Valen*, quod lingua Saxonica pullum equinum significat, quem in militaribus signis habuerunt. At abolito isto nomine manst Saxonum appellatio. Sic Westphali, qui cis Visurgim versus Occasum habitant, à *West*, Occidua plaga, ita dicti. Alii denique à campo *Vele* potius, quam à *Valen*, Westphalos dictos arbitrantur. Ut ut sit, certum est, illos jam annis amplius nongentis sic nominari.

Prima Westphaliæ acceptio.

Porro illud notandum, Westphaliæ nomen tripliciter sumi. Primo pro universa regione, quæ ab Ortu habet Visurgim, ad Meridiem Hassiæ montes, ad Occidentem Rhenum, ad Septentrionem Frisiæ paludes. Atque hoc sensu Septimus Imperii Circulus *Westphalicus* vocatur, qui tribus ordinibus constat: I, Ecclesiastico; II, Principum; III, Civitatum liberarum. In primo sunt Episcopi Paderbornensis, Leodiensis, Ultrajectinus, Monasteriensis, Cameracensis, Osnabrugensis, Verdensis, Mindensis. Abbates, Werdensis, Stablonensis, S. Cornelis-Munster, Echternacensis, Corbejensis, Herfordensis. Abbatissa una, Essensis. In ordine Principum secularium sunt, Dux Cliviæ, & Comes Marchiæ, Dux Juliacensis & Montensis, Marchio Badensis, Comes Embdanus sive Frisiæ Orientalis, Comes Sein, Dillenburg, Comes Vernenberg, Comes Manderscheid, Comes Weida & Ringelberg, Comes Meursensis, Dominus Bronckhorst, Comites Steinfurt, Bentheim, Dortmund, Oldenburg, Dominus Bidburg, Comites Hoya, Diepholt, Scaumburg, Domini Spiegelberg, & Vanenberg, Comites Arenberg, Dierenberg, Lippensis, & Dominus in Somer-auss. Civitates liberæ sunt Colonia, Aquisgranum, Vesalia, Marcodurum, Cameracum, Tremonia, Susatum, Duysburgum, Hervordia, Brakel, Wartburg, Lemgovia & Werden. Ac hujus quoque Westphaliæ populi veteres dicuntur fuisse Teutoni, Busacteri, Chamavi, Angrivarii, Longobardi, Dulgumnii, Angili, Chauci & Cherusci.

Circulus Imperii.

Secunda acceptio;

Secundò sumitur Westphalia, pro intima prioris parte, quales sunt Monasteriensis Episcopatus, similiter Paderbornensis, & Osnabrugensis, cum locis vicinis, quorum incolæ hodie communiter *Germani*. Westphali audiunt, (quod nomen Montenses & Clivii Cis-Rhenani aversantur,) habent hi suas tabulas peculiares.

Tertia.

Tertia sumitur pro speciali Ducatu, de quo videnda propria.

Populi Veteres.

Habitarunt hic olim (ut de Teutonibus, qui ab hoc litrore Balthico, ubi sedes eorum antiquissimas Ptolemæus collocat, cum Cimbris in Galliam profecti, Teutoburgo, quod Tacitus in Westphalia posuit, nomen dedisse existimantur, non dicam) Busactori, seu, ut Tacitus, Bructeri, Chamavi, Angarii, Dulgumnii, Angili, Chauci, Cherusci, & Cayci.

Domitii.

Cum Imperator Barbarossa proscripsisset Henricum Leonem Ducem Saxoniæ & Bavariæ, qui postremus universam Saxoniam & Westphaliam, ab Albi usque ad Rhenum tenuit, Philippus Colonienſis Archiepiscopus magnam Westphaliæ partem Leoni ademptam occupavit, & titulum Ducis Angariæ & Westphaliæ, Imperatoris auctoritate assumpsit. Bernhardus Anhaldinus, Alberti Ursi filius, superiorem Saxoniam ad Witebergam, cui Electorum dignitas adjuncta est, possedit. Cujus (Bernardi) nepos Albertus, post annum 45, Ducis etiam Saxoniæ titulum, Ottoni puero, nepoti Leonis, in bello adversus Danos, à Lubecensibus, eorumque sociis capto, extorsit. Cujus Alberti agnati, Duces Saxoniæ Lauenburgenses, hodierna die titulum veterem Ducum Saxoniæ, Angariæ & Westphaliæ servant. Quam Occidentem versus, Lippiæ & Rheno interjectam, amplissimum videlicet Comitatum Marchiæ, cui Tremoniensis etiam civitas & ditio inclusa est; & Ducatum Bergensem; & citra Lippiæ & Amasis fontes Comitatum Revensburg, Limburg, & Vlote, Dux *Juliacensis*: multa sparsim Archiepiscopus Colonienſis; quædam Paderbornensis; & Comites Waldecenses, possident. Reliquæ, Orientem versus, à ripa Lippiæ ferè ad Visurgin (Bremam alluentem) Westphaliæ maximam partem, Monasteriensis Episcopus; aliquam Osnabrugensis & Mindensis, tenent. Cætera Comites de Lippia, Bentheim, Teclenborg, Ridberg, Pirmund, Diephold, Hojæ, Oldenborch, Delmenhorst, in ditione & potestate habent. Qui Comites plerique, à Carolo Magno Episcopis initio adjuncti, judicum vices, quod & nomen *Greven* Germanicum denotat, gerebant.

Qualitas soli.

Soli etiam Westphalici ubertas & bonitas multis in locis eximia est. Etsi enim in eo tractu, quem mercatores æpissime transeunt, regio vastior & incultior est: tamen ad Visurgin, & circa Susatum, Hervordiam, Paderbornam, Warburgum, Hoxariam & passim alibi, fertilibus agris, ac ubique ferè lætissimis pascuis, glandi-

ALBERS 211
Karten 0072